EPISTOLÆ MUTUÆ ARGONAUTÆ AD NESTOREM, ET NESTORIS AD ARGONAUTAM, DE...

Georg Hieronymus Welsch



EPISTOLÆ MUTUÆ ARGONAUTÆ AD NESTOREM, ET NESTORIS AD ARGONAUTAM,

DE

Thesauro experientiæ Medicæ, cujus accedit specimen

DE

ABORTU.



Augustæ Vindelicorum,
Typis Joannis Schönigkii,
M.DC.LXXVII.



Hippocr. I. Aphor. I.

Οὐδεὶς ἡμῶν ἱκανός ἐστι συστήσασθαί τε ἅμα καὶ τελειῶσαι τὴν τέχνην, ἀλλ' ἀγαπητὸν εἰ πολλοῖς ἔτεσι τῶν ἔμπροσθεν οἱ μετέπειτα παραλαμβάνοντες, καί τι προστιθέντες αὐτοὶ συντελέσαιμεν ποτὲ αὐτήν.

Cic. I. Officiorum.

Non debemus quidquam agere, cujus non poſsimus cauſam probabilem reddere.

VIRO

Nobilissimo Amplissimo, & Excellentissimo

IOANNI MICHAELI FEHRIO,

Illustris Societatis Naturæ curiosorum S. Rom. Imp. in German. Præsidi meritissimo.

G. H. V.

S. P. D.

Si mireris, Vir Perillustris & Excellentissime, quod istas TUAS measq; Epistolas, invicem scriptas, in lucem publicam producere non verear, causas ab Nobilissimo & Eruditissimo Vollgnadio nostro requiras peramanter rogo. Huic enim, ni fallor, ceu decet, omnes jam perscripsi: Nec pluribus repero, quippe satis puto, ne ingratus videar, non TIBI tantùm, sed aliis quoque, qui hanc audaciam & fastu quodam & jactantia indecorâ naram interpretari possent, aut fortè etiam conarentur. Hanc autem calum-

 ni-

niam benevolentia Tuâ, & auctoritate, amoliri TIBI facile existimo. Calumniam voco, aut certè malitiam, quæ parum abest á calumnia, cum mihi sanè non alius animus fuerit, quàm Academiæ vestræ honorem quærere & propagare, cui tantum amorem debeam. Promissis etiam standum ratus, ne inanis mihi hiatus objici possit, aliquid saltem, de Thesauro meo experientiæ Medicæ exhibendum censui, donec cum DEO, absolvatur. Nam nuper haut levi ægritudine adfectus, maturè mihi dispiciendum agnovi, quid de illo agendum restet, si fortè DEO visum fuerit, ut me vivente, non tamen perficiatur. Hoc igitur ad Te, totius societatis nostræ nomine referendum judicavi. Vale, Vir amplissime, & fave. D. Augustæ Vindelicorum. cIↃ IↃC LXXVII, Idibus Martijs,

EPISTOLA ARGONAUTÆ
AD
NESTOREM.

εὐδιάγειν.



Venustissimæ Veneris simulacrum tam affabrè nec Phidias olim expolivit, nec Apelles, pictorū coryphæus tam speciose delineavit, quem Tu, Nobilissime Vir, medicinam nostram, ejusq; hactenus desiderata, in somnio isto Vindiciani (pro quo maximas ago gratias) graphicè depinxisti, Papæ! quam exasciata, quam elimata, quàm amussitata sunt omnia! Totus ego descendo in sententiam tuam, & perfectum mihi polliceri ausim corpus Medicum (quo sola ex tribus superioribus facultatibus, destitui visa est Medicina, & Harmonicum systema, modò non deessent Megadori & Magnates, qui aures darent hisce tam salubribus monitis, & ope operâque, quâ pollent maximâ, suppetias irent, in excolendis istis desideratis, acriter desudantibus, ad instar Regis Angliæ omnium munificentissimi, quod multis retrò annis desideravi à pluribus, & à biennio jam aulam Cæsaream eo nomine per Collegas ibi nostros submississimè interpellavi. Sed nondum exortum est nobis tam benignum sidus, nec quod sciam, hactenus inventi, qui commodum hoc publicum privato anteponerent. *Apparent rari nantes in gurgite vasto.* Ego tamen quod mearum virium est, propediem idipsum denuò ibidem agam, pro majori petiti mei robore adducturus ex Vindiciano Tuo, suspiciende D. Collega, rationes numero plures, & ponde-

dere gravissimas: Collegam Te nunc primùm saluto, ac in ordinem Naturæ curiosorum jure meritoq́, recipio receptúq́, solenniter pronuncio, cum meritissimo NESTORIS agnomine. Vive Excellentissime Nestor, salve Naturæ curiosorum Consul, & age feliciter, sanioris Medicinæ stator, DEUS Ter Opt. Max. Te nobis conservet incolumem, tantum parastatam, cui quidquid à nobis proficisci poterit, officii, studii, & observantiæ, dicamus & debemus omne. Mentiatur fama de obitu tuo, & obmutescat diutissimè: si tamen humanitus quidpiam, quod sacrosancta Trinitas clementissimè avertat, Tibi forte obtigerit, obstricti sumus omnes, quotquot Academiæ Naturæ curiosorum nomen dedimus, idque ex tenore LL. nostrarum secundo miscellaneorum anno insertarum, disertè vi legis XIX. nominis Tui celebritatem, famamque gloriosè partam, ab interitu vindicare, quod de voluntate & officio nostro hîc celare nolui, quamvis suprasexagenarius ego de me parum polliceri ausim. Vale & vive, Nobilissime D. Collega in ornamentum & incrementum Acad. Nat. curios. salvus & incolumis diutissimè, faveq́ue

N. T. Exc.

Addictissimo

S. Rom. Imp. Acad Nat. curios. Præsidi
D. Argaunautæ,

4. Cal. Nov. anno
clɔ Iɔc LXXVI.

Io. Mich. Fehrio D. Phys.
Suinfurt. ordin.

NE-

NESTORIS
EPISTOLA AD ARGONAUTAM
h. e.

Ad Virum Nobilissimum & Amplissimum

IO. MICHAELEM FEHRIUM,

Illustris Societatis Nat. Curios. in Germ. Præsidem meritissimum, Dominum, Fautorem, amicum, & Collegam honoratissimum.

GEORGII HIERONYMI VELSCHII,

De

Thesauro suo experientiæ Medicinalis.

S. P.



Quidem vivo, Nobilissime D. Collega, æternum venerande, sed quomodo valeam nec ipse satis scio. Ita me hucusque tam varia & luctuosa fortuna exercet: quamdiu nempe supremo Numini visum fuerit. Maximum enim inde solamen adversitatum capio, quod apud vere sapientes aliqua mei memoria, quantumvis non merear, super

persit. Hos autem intelligo, quos eruditio & doctrina non vulgaris, virtusque ingens, plebis sordibus exemit, & inter seculi nostri decora collocavit, inter quos longe TE numerant, quicunque naturæ artisque nostræ Curiosi amatores existunt. Imo hanc ipsam ob caussam jure TE ex omnibus Præsidem Collegii sui elegerunt, & unanimi amoris cultu Principem prosequuntur Argonautarum, ad Hesperidum hortos navigantium, primum scilicet & felicissimum Theseum, seu mavis Jasonem, aut Perseum, poma aurea non rapientem, sed spargentem, horrendæ Gorgonis domitorem, victorem draconis invidi, incognitas vias æquoris sulcantem, aliisque secuturis benignè monstrantem. Et sanè optarem mihi ad TUA merita concelebranda senis Pylii eloquentiam, à qua tamen nunc longius abesse me fateor, pariterque doleo. Quin etiam TIBI in primis ac universæ Societati Illustrium Virorum, qui Naturæ experimenta curiosius venantur & excolunt, gratias quas possum maximas debere testor, quod me omnium minimum peramanter & sigillatim invitatum, (jam olim cum Nobilissimus Sachsius viveret) benevole recipere, & Præclaro Nestoris agnomine ornare dignati sitis. Pauca certe sunt illa, quæ mihi conveniant, si quis Isaacum Porphyrogennetum audiat de proprietatibus & lineamentis Græcorum, quæ Dares Phrygius his versibus expressit:

Nestora magnificat morum prudentia custos,
Consilii librata fides, & sobria dandi
Gloria,

Quid enim mihi ex omnibus istis competat? præter illud γέρων τῇ ἡλικίᾳ, & σύμβουλος, non tamen τοῖς Ἕλλησι ἀλλὰ τοῖς ἀλλεμαννικοῖς ἡμετέροις. Nam φρόνιμος καὶ εὐσύμβουλος TIBI potius Societatis totius judicio convenit. Quæ utiq; præfatione in Hecatosteas meas vobis omnibus & TIBI inprimis, Illustrissime Præ-

Præſes, pollicitus ſum, id omne nunc repeto, & ſi qua in re honorem veſtrum promovere & augere licuerit, ſanctè promitto, me nil quidquam intermiſſurum eſſe, nam cætera majora & digniora ab aliis exſpectabitis, qui Mœcenarum titulos æquare valent: voluntati tamen propenſiſſimæ facultas ſola deeſt, à vobis nihilominus, quod impenſe expeto, non ſpernetur, ſed gratiosè, ut ſpero, acceptabitur. Laudo præcipuè leges à vobis ſcitas, & ſapientiam in illis Veſtram agnoſco, nec video quid illis deſit, niſi forſan ut Bibliothecam Academiæ inſtituatis peculiarem, in qua non tantùm edita opera, ſed Collegarum quoque munificentiâ & liberalitate libri donati etiam Mſſ. reponantur noviſque acceſſionibus augmentetur, uno ſemper in loco cuſtodienda, ex qua adlegata, ſi opus fuerit, deſcribi & reliquis Collegis communicari poſſint. Nec enim omnia ſtatim typis excudi queunt, interdum quoque nec debent, quæ tamen ſcitu aut neceſſaria aut utilia & honorifica futura ſunt. Huic adjungi poſſet Pinacotheca rariorum naturalium & artificialium collecta ex donis DD. Collegarum, fautorumque, quæ ſingulari libro deinde deſcribi queat. Optarem etiam, ac niſi diſſentiatis, conſulerem, ut Excellentiſſimorum DD. Collegarum imagines ad vivum depictæ, & deinde cælo Chalcographico eleganter expreſſæ, in unum aliquem librum collectæ in lucem ederentur. Quamvis enim externa iſta corporum lineamenta ad animum non pertineant, & interdum Socrates aliquis ſub nigra, & deformi facie, candidum & pulcherrimum pectus occultet: aliud certè plerumque judicium Zopyrorum eſt, & aliud Apollinis Delii oraculum. Ipſi certè agnomina Collegis pleriſque Græca impoſuiſtis, quorum proprietates, & lineamenta Porphyrogennetus Græcè deſcripſit, quod ſupra innui, & Dares Phrygius Latinè reddidit apud Illuſtrem Virum Janum Rutgerſium in doctiſsimis variis lectionibus, & in quibuſdam antiquis nummis videri

 poſ-

possint. Consultum quoque & æquum judicarem, memorias illorum, qui diem suum jam beatè obierunt, conscribere & addere, quod Excellentissimus vir Joan. Daniel Major de vita Sachsii nostri facere cœpit. Cæterum quod pace TUA dicere liceat, non videris mihi mentem meam in somnio Vindiciani satis percepisse, quin contrarium potius me sensisse puto, quod corpus Medicum attinet. Id namque aut impossibile, aut inutile existimo, ob causas ibidem adductas. Vidisti enim dubio procul quod Excellentissimus Collega noster, Paulus Ammanus, Archiatrus Saxonicus & Doctor Lipsiensis, in Paræenesi sua ad instit. Medic. Sect. 1. c. candidè & verè prudenter monebat: *falsissima,* inquens, *hypotheses Medicorum* (plures) *œcumenico concilio opus haberent, quod optandum potius quam sperandum.* Inter promissa tamen mea, quæ in Sylloge observ. quarundam Med. nominavi, & Illustrissimis Septemviris in Senatu Augustæ Patriæ, inscripsi, multa sunt, quæ conjuncta ferè corpus Medicum desideratum facere possent. Tantum tamen mihi non sumo, sed doctioribus relinquo, & TUO inprimis, Vir Nobilissime, arbitrio committo. Nam perfectò non absque ratione Horatii effato, tum temporis commonui, vitæ summam brevem vetare spes nos inchoare longas. Hoc igitur sæpè animum sollicitat cum thesaurum meum experientiæ Med. cogito. Odi magniloquos, ut qui maximè, cum sciam plerosque, ut C. Tacitus loquitur in vita Agricolæ. 27. 2. cautos & sapientes esse, scil. post eventum, nec probo periavtologiam, se ipsus laudantium, quam vitiosam consuetudinem Cœlius Rhodiginus lib. VII. antiq. lect. c. 5. rectè taxavit. Non tamen ægrè feres, quod præfiscini dicam: Anni sunt circiter XL. quibus labore ingenti consilia, curationes, Epistolas, & observationes Medicas, paucissimis exceptis, undique nec paucioribus impensis, conquisitas, non obiter evolvi, sed in ordinem secundum alphabeti seriem redegi, ita ut remedia quoq; & alia

no-

notabilia non præterierim, quæ omnia ferè corpus, Medicum constituerent, sola experientia firmatum. Si DEO sic visum fuerit, ut aliquando absolvere queam, dum vixero, Imque invictissimo, & Augustissimo Cæsari nuncupari posse existimo, sin minus, & supremo Numini placuerit, ut humanarum rerum jamdudum satur, & jam ferè sexagenarius, hinc abeam, quo naturæ debitum exsolventes abire solent, vitamque caducam relinquere, aut verius meliori & perenni permutare, laborum meorum successores, sive hæredes, vos nomino, & solenni formula instituo, ut vos edatis, si lubeat: atque decenti humilitate eidem potentissimo Imperatori, quod sæpius jam fecistis, vestro meoque h. e. totius Illustris Societatis nomine, nuncupetis. Ut vero, qua methodo id facere possitis, exemplo hoc subjecto tanquam specimine videbitis, quamquam ut alia etiam adjungatis, neque dissentiam neque, repugnem. Sumam autem ea Moroni indice obvium adfectum mox initio, abortum scilicet, quem sic edendum puto.

Præclara Theodorici Regis sententia est apud Cassiodorum in formula Comitis Archiatrorum quam doctissimus Meibomius, peretudito Commentario illustravit, & patris gloriæ ac meritis par Clarissimus filius emisit & Serenissimi Principis Electoris Brandenburgici Consil. & Archiatro Martino Weissio inscripsit. l. 2. divin. lect. c. 31. *inter utilissimas artes, quas ad sustentandam humanæ fragilitatis indigentiam divina tribuerunt, nulla præstare videtur aliquid simile, quam quod potest auxiliaris Medicina. Hæc enim morbis periclitantibus materna gratia semper adsistit: & ibi nos sublevare nititur, ubi nulla divitiæ, nulla potest dignitas subvenire. Ars quæ in homine plus invenit, quam in se ipsa agnoscit.* Multarum autem rerum usum Medicum habere oportere jam olim Hippocrates innuit, quam ideo Cassiodorus rectè peritiam appellat, quæ efficaciter imperet, ne competente commoditate ægroti fraudentur.




ABORTUS. (1)

MIseranda hominis conditio ipso quandoque ortu luctuosa, imò antequam nascatur, sæpè triste experimentum materni uteri præbet, sive ignoretur, sive se prodat fœtus, dum immaturus est, (2) aut semimaturus ante partũ tabescit, quem nonnunquam etiam maturus præcedit, aut in ipso partu moritur.

Partus nimium præcox abortivus, Gloss. Vet. Gr. ἀπόσπασθεὶς Iul. Polluci ἀμβλωθρίδιον ἄμβλωμα, ἐκβρωσμός. Aristot. l 7, hist. anim. c. 3 si intra diem 40. διαφθορὰ ἢ ἔκκρισις si intra diem contingat, l c. Arabicè: שׁקט à pro labi, decidere, ab-

(1) Cermis conf 25 fol 41. b. Claudin. conf 34. p. 38 & conf 113. pag. 272. Jo. Crato apud Scholz. conf 352. p 982. Font conf. 16. f. 172. Ballon. l. 3. conf 102. p 259 R I. Fort. Cent. 4 conf 60. p. 654 conf 61. pag 656 Gent. d. Fulg conf. 2. f. 71. Matth de Gradi conf. 73 f 66. Mercurial tom. 1. conf. 10 p. 15 seq & conf. 101. Pro Maria Parmæ Principe p. 131. & seqqq. & tom 2 conf 41 p 94. seq Montagn. conf 208 fol 218 seqq. conf. 209 fol. 230. b conf 210. f. 230. b. conf. 211. f. 239. b conf. 223. f 241. b Montan. conf 316. p 759 Plater. l. 3 obs p 698. Trincavell. de muliere, quæ vitales fœtus alere non potuit, conf 81 p 580 & seqq Virtich. conf 56. p. 380 conf. 57. p 390 & seqq Zecch. conf. 85 p 416. & seqq conf. 94 p 450 Corn à Somern. inq ep Jo Beverov p. 219 & seqqqqq Solen. l 4. observ. 164 p 634. & seqq Abortus fœtuum 2. 3. aut plurium usque ad 15. Abulcasim. Chirurg. tract. 2 c 75.

(2) Unius mensis effluxus Ferdin. Epiph hist. Med 50 p. 150 & seqqqq. Mercur. de abortu primis mensib to 4. conf 42 p. 65. sq Jo Udalric Rumler. cent. 1. G. H. Velschii conf. exoteric. 63 in syltoge observ. 86. Reym, Joan. Fort. cent 4 conf 59 p. 652. sqq Abortus Embryonis non ita quidem concepti & quæ in eo observata Plat, l. 3. observ. p. 702. & sq.

abortus & fœtus abortivus. Non minimum probrum medentium si negligatur, scelus si procuretur. Eo majori sedulitate prohibendus quantum possibile, quo plures causas habet. Galenus autem fœtum tenello germini pulcrè comparat, hortulanũ icciico aut agricolam, qui arborum nascentium curam gerit, Medicum imitari oportet.

Interdum enim nõdum vitalis effluxus est, ἔκρυσις Græcis dicitur. Unius mensis effluxus, (3) Interdum quamvis vitalis fuerit paucorum dierum est, dum Embryo adhuc vocatur, (4) quinquemestris, quinquennalis, semestris, octimestris, (5) nonimestris, sed jam ante mortuus.

Nonnunquam ratior obtingit, (6) si per os edatur: Item sex septimarum, IV. di-

(3) Ferd. Epiphan. hist. Med. 50. p. 250. & sqqqqq. Mercur. de abortu primis mensibus tom. 4 conf. 42. p. 65 sq. Jo. Udalric. Rumler. cent 1. G. H. V. conf. exoter. 63. & in Syll. observ 86. Raym Jo Fort. cent 4 c. 59 p 652 seqq.

(4) Abortus primis mensibus Bonaciolus de form fœtus c. 6 VI septimanar Binninger Cent. I. observ 52. Cent. II obs. 87 Cent. III obs 14.

(5) Vid Tit propr. fœtus mortuus. Frid Bonavent. tr. propr de fœtu octimestri. Franc Cassian ad Mart Zurach. G. H Velschius Cent. IV. conf. exoter. 29 Hier Mont Pr. l. 4 c 40 Respons. Patav. G. H. Velschii episagm. observ. 74. & 72.

(6) Ortolph. Marold. Anno. 1. Ephem. Germ obs 112. & disp. inaugural, Artorfii habita An. 1660.

IV. digitis in utraq; manu deformis, (7) sæpius incertus, (8) sæpius periodicus & frequens, (9) & per intervalla contingens, (10) aliquando sanus, aliquando morbosus, apoplecticus (11) epilepticus, (12) febriculosus, (13) ictericus, (14) croco tinctus, (15) hydropicus, (16) pustulosus, (17) variolosus. (18)

Rarior etiam est, si in utero vagire incipiat, (19) aut si in uterũ revertatur. (20) Sanus quidem per naturam (21) ab obesitate (22) eveniens, dum alimenti copia præfocatur: ab morbo vero si præter intemperiem, & adfluxum humorum vitiosorum fiat, quem

(7) Polemann apud Becherum nov. lum. Chym c. 10. p. 6.

(8) Mercurial tom. 2. conf. 41. p. 94. & sq tom. 4. c 37 pag 55. sqq. & conf 57 p 89. sq. Zoroast. Tinell. conf. 26. p. 178.

(9) Velschius Cent. 1. conf. 66. cum superfoetatione episagm 75.

(10) Amatus Lusit: cent 6. curat. 50 p. 608. sq Mercurial. tom. 1. conf. 57. p. 68 sqq Zecch. conf 94. p. 450.

(11) Vide Hippocratem.

(12) vide tit. propr.

(13) vid. tit. propr.

(14) vid tit propr..

(15) Jo. Ferdin. Hertod in Ephem. Germ. An. 1. obs. 60.

(16) vide tit propr.

(17) Plat. l. 3 observ. p 702.

(18) vid. tit Variol Joann Valent. Mollenbroccius in Ephem. Germ. a. 1. obs. 34.

(19) Patersonus Ephem. Germ. An. 1. obs. 62.

(20) Patersonus Ephem. Germ. An. 1. obs 62. Aut etiam in utero lapidescat vide de Lithopædio Senonensi extracto D. Albosium singulari epist. apud Franc. Roussetum de partu Cæsareo in versione Bauhini Sect. 1 c 5 histor 3. pag. 305. add de foetu Mussipontano Laurentium Strauss tr. proprio, extra uterum tandem lapidescente, Anton. Deusing. tr. peculiari Thom Barthol. de insol. part. viistr pecul. De foetu in tubis uteri concepto & abortu edito Matthias Tiling ad Jo. Sigismund Elsholzium tr. singulari adde fig de foetu mortuo & extracto Guilielm. Rivam Romæ edit

(21) Vide abortus causas accuratè expositas apud Jo Walæum pr Med ab Irvino edita p 206 vide etiam Bonaciol. de form. foetus. Ab odore lucernarum extinctarum Plin. l XIV c. 18 a e.

(22) Vide tit propr *obesitas*, cum alvi constipatione Hildan. cent, obs. 62. d. 576 Bisinger. Cent. I. obs. 88.

quem cacochymiam appellant, aut mala conformatio adsit, (23) a qua sæpè sterilitas orta abortit facit, quod etiam à vitio seminis virilis contingit, (24) ut & à terrore, (25) aut terræmotu, (26) aliqua violenta cōmotione, ut percussione, (27) uteri procidentia, (28) casu maximè ab alto (29) ab ictu bombardæ in coxam, (30) à rejectione sinceræ bilis prasinæ, (31) ab sanguinis item aut cæterorum succorum nutritiorum defectu, (32) quæ suas iterum causas habere comperitur, sedulo investigandas, plerumque enim est à sanguiguinis profluvio, (33) aliisque hæmorrhagiis, (34) aut intempestiva V.S. à virium de-

(23) Hildan cent. 2. obs. 5. p. 121. vide epist. Bauh.

(24) G. H. Velschii mictominem: 3. obs. 90. Ab internecione fœtus, exclusione per elysmata fortiora, pharmaca, & denique unco & forcipe curat. D. de St. Jacques pr. Med. MS p. m. 265. Lud. Mercatus lib. 4. de mul. affect. c. 5. à mucositate acetabulorum Velschius Cent. I. cons. exoter. cons. 66.

(25) Conspecto mure eviscerato & nausea commota Alex. Ben. l. 15 c. 19. p. 424. Timæus Cas. Med. l. 1 p. 112. & sq. à Tristitia Binninger. Centur. IV. obs. 11.

(26) Anno 1511. Venetiis quasi epidem. Alex. Bened. l. 25. pr. c. 29. p. 987. & libr. de febr. pestilent. c. 2. p. 1135.

(27) In clunes Plater. l. 3. obs. p. 705. A motu violentiori Barthol. Hornius apud Timæum in cons. pag. 50. & sqq. resp. 23. pag. 38. cons. & resp. 27. à partu 173. dierum Gryphiswaldensem pag. 45. & sqq. Jo. Neuganttius p. 47. & sqq. Rostoch. p. 52. 4. 27. 47. sqqq. A peste insequente Isbrand Dimerbroecius l. 3. c. 6. p. 15. A febri Franc. Porttus, dec. Med. c. 24. p. 158. aut morbo aliquo acuto ex Hippocrate V. Aphorism. 30. Item morbo Chron. Caspar Peucerus pr. Med. c. 21. post Icterum. Bising. Cent. II. obs. 60. a contusione Binning. Cent. III. observ. 31.

(28) Trinc l. 11 de cur. aff. c. 6. p. 414.

(29) Hildan. cent. 2. obs. 50. p. 537.

(30) Hildan cent. 4. obs. 59. p. 333. b.

(31) Timæus casu Med. de uteri adfect. p. 111.

(32) Nimia gracilitate Hippocrat. V. Aphoris. 44. A. V. S. V. Aphor. 31. & defectu alimenti idem aphor. 60. Zecchius cons. 90.

(33) Solenander cons. 14. pag. 60. Hildan cent. 3. obs. 59. p. 243. Wolfg. Gabelchoverus cent. 1. cur. 88. pag. 170. & seqq. & cent. 3. cur. 68. pag. 109. sqqqq. Chambellanus ap. Theodor. Mayernum de cur. gravid. MS. § XI.

(34) Ruland. Cent. 7. cur. 99. p. 228. & sqqq.

debilitate, (35) aut victu pravo insufficiente, aut immoderato, qui coctionem impediat, (36) à potu cerevisiæ tenuioris, (37) à medicamentis venenosis & abortivis, (38) quamq; istis interdum frustra sollicitetur, (39) nunquam tamen Medico tentandus sit. (40)

Præcavetur interdum V.S. aut simplici, aut etiam repetita, (41) qua etiam vicissim curatus legitur V. S. cauta & considerarâ, (42) & Medicamentis convenientibus, (43) ut semine

(35) A virium debilitate Aubert. tr. de curat. grav. MS §. XI.

(36) (37) Ex Philipp. Melanch. Epist ad Matthes cit. Martin. Schookius tr. de cerevisiis c. 41. p. 1366.

(38) Artemisia ideo non vendenda Medici Lips. apud Paul Amman. Med. Crit. cas. 6 p 22 usque ad 28 Dioscorid. l. 3. c. 127. A filicis esu Theophrastus Eresius Hist. plant. l 19. c. 22.

(39) Henr. ab Heer l. 2 obs. 14 p. 177.

(40) Joh. Bapt. Cortesii misc. Med. Dec 10. quæst. 10. p. 797. & seqqqq. Joh Bapt. Sylvaticus controv. 82 pag 577 & sqqq Stephan. Roder Castrens, quæ ex quibus l. 4. c 6 p. 242. sqqqq. Sennertus l. 4 pr. part. 2. sect. 5. c. 9. §. p. 365. & sq.

(41) Marcellus Donat. Hist. Medic. mirabil. l. 4. c. 26. Amat. cent. 2. cur. 89. p 232. & cent. 5 cur. 27 sectâ cubiti vena Panarol. obs 10. p 13. Henr. ab Heer. l. 2. obs 14 p. 176 Saphænâ Sectâ Zacutus l. 2. obs. 151. p 269 & sq. Autor Enchir. pract. p 329. venæ sectione octies repetita Bernard. Verzascha l 25. River. contr. c. 14. pag 513. Schenk l 4. obs. 162. p. 633. f. Franc Moræus tr. 2. de febri maligna parox. c. 25 pag 217. Binninger obs. Cent. II obs 48 Bernhard Rorbach. apud Velschium chil 2. cur. 5. Alex. Dedat Valetud. p 161. sqqq & p 320 ad 330. Caspar Caldera lib. 3 tribun. Med p 252. sqqq Riv. lib 7 pr Med c. 16. Franc Ignat. Thiermayer. cons. 13. p. 153. sqq. Angelus Victorius cons. 74. fol 264.

(42) Vide supra.

(43) Plat l 3. obs. pag. 780 Zecchius cons. 94 Vide Remedia apud Plin. l. XX c 6. Vide specifica contra abortum Mag Corall. cum succo citri, Ebur. cum Aq Plantag & Verbenæ, Frid. Hoffman. de materia Med. Vide etiam remedia apud Joh Marinell, Pt. l. 3. c. 8. à lubricitate humorum enemate ex origano & simil. Appensis, Creta, adamante in annulo, & spoliis serpentis præparatis, p. 261, sq.

ne plantaginis, (44) aqua fl. Caryophyllorum aromatica, (45) usu lapidis Aetitæ, (46) corroborantibus variis internis, (47) pariter & externis, (48) etiam thermis, (49) cucurbita medicata (50) Pulchrum enim est, ea etiam discere, quæ in experimentum ad sumpta, successu caruerunt, aut cur successum non habuerunt. (51)

Hæc ita plerumque sic habent, si abortus solus ex talibus causis contingat, nonnunquam tamen aliis quoque adfectibus complicatur, cum dolore sæpe letalis est. (52)

Interdum cum cachexia, ut ut curatus, mortem tamen infert, (53) cum imper-

(44) Velschius Mictomim. 3. obs. 10. Extr. hypocystidis, c. 1. Succini idem. nor. in Smizii compend. Pr. MS. Tinct. Coral. terrestri vegetabilis s. Limonii Theophrasti id Ibid. MS.

(45) Velsch. obs. 10. l. c.

(46) D. Becherus & D. Tinctor apud Poleman. nov. lum. chym. p. 43. Cons. Statices D. Sainct. Jacques Pr. MS.

(47) Medicamenta varia Abortum prohibentia apud Jacob. Ruffium. in Gynæc. Spachii l. 5. c. 4. p. 389.

(48) Velschius chil. Med. 1. lit. A. Abortus. Lapidis Hæmatitægestatione juxta collum Hæmorrhagia quasi desperata, curata, Ligno Mespili appenso & balsamo Styptico Rolfinc. l. 9. methodi medendi special. sect. 6. c. 12. Unguent. Gulielmi Varignan. l. 16. c. 4. Si in mense 7 confortandæ cotyledones præserv. per Diamargarit. Ebnsinæ idem ibid. Decoct. Capill. ♀ in vino id. ibid. Melissa apud Scrapion. & Ebnsina Glossator. id. ibid. per Dia corall. Tormentill Balsamir. & Sisymbrion Petr. Bayrus Pr. l. 15. c. 6.

(49) Patavinis, Bononiensibus & Alexandr. in Liguria. Alex Ben. pr. Med. l. 25. c. 30. Thermayr. l. 3. cons. p. 162. & sqq. Balneis Heilbrunnensibus Bavaricis idem cons. 14. in Schol. Aq. Thespiao. Elatensi Arcadica præserv. Lini fontis Joao. Costæus de potu in morbis. l. 3. c. 18.

(50) Zacut. l. 9. hist. c. 15. obs. 2. p. 148. sq. Zona Hippopotami vel l. upicorio idem l. 2. obs. 152. p. 270. Emplastro. Velschius chil. 1. cur. 2. Fonticulo aperto. Zacutus l. 2. obs. 150. p. 268. sq. Sem. tanaceti Scotici. Jo. le Bon ther. puerper. p. 6. Joachim Camerat. in hort. Med. sit prope.

(51) Hippocrates libr. de Articul. in Corrar. vers.

(52) Vinc. Alsar. à cruce cons. 2. quæsit. per epist. p. 168.

(53) Timæus cas. Med. l. 3. tit. de ut. adfect. p. 211.

perforatione ani ventrisq; tumore (54) cum calculo, (55) cum paralysi manuũ, epilepsia hysterica,aliisque morbis & sympto matibus,(56) cum sterilitate,(57) cum nephritide,(58) cum mola,(59) cum albo fluore (60) & catarrho.

A purgatione non semper accidit, (61) complicitus difficulter curatur.

Interdum dubius appatet, ut propterea controversiæ exortæ Magistratibus decidendæ offerantur, qui Medicorum relationes,ideo plerumque desiderant. (62).

(54) Joann. Polemann. nov. lum. chym. p. 43.

(55) Solenand cons.16 p 66 & seq.

(56) Timæus l. 1 cas Med. Tit. de affect. uteri p. 110. Amat Lus. cent. 1. cur. 12. p. 485.

(57) Fonseca tom 2 cons 71 p. 209.

(58) Solenand cons 16 p 66 & seqq.

(59) Joan Crato apud Scholtz. cons. 356. p. 995 Velschius chil. 2 cur 183. Ex viscerum dyscrasia Thiermayer. l. 1. cons. 14. p 169 & seqq. Infans mole inclusus Kerkring obs 95 p. 184 seqq.

(60) Ballon. l.2 cons 25 p.269 sqq.

(61) Zacutus l. 3. Hist. Med. PP. Hist. 14.

(62) Plater. l 3 observ. p. 703. & p 704. Vinc. Alsar à cruce cent. 2. quæst. per epist p 166 & seqqqqq vid. tr. proprium Fortunati Fidelis de relation. Medic.

Singularia in fœtu, etiam abortivo, & quinquemestri, observata à Joanne Veslingio Eq. descripta sunt in Epistola G.H.V. ad Petr. Mar. Frambottum Typogr. & Bibliopol. Patavinum in fine syntagmatis Anatomici, postremũ excusi c. Ger. Blasii, aliorumque adnotationibus. Adde quæ de ovariis mulierum ad Guil. Rivam Anatomicum Romanum, haut ita pridem pereruditè scripsit & edidit Gaspar Bartholinus Viri in com-

comparabilis Thomæ Filius, quo munere præstantissimo me quoque donatum plurimum bene volentiæ & amori suo immerentem obstrinxit.



HAc ratione modoque etiam reliqua omnia coordinanda atque edenda existimo. Nec aliam seriem adfectuum, quam literatum sequendam puto, qualem Moronus, ejusque exemplo Schæfferus, secutus est. Non repugnabo tamen, si convenientiorem præscribere, ex Academiæ Vestræ consensu arbitremini, cùm iste interea mihi facillimus & commodissimus videatur.

Nolim idcircò id quisquam faciat, antequam me non facturum hoc est diem obiisse certò cognoscat, aut alias sonticas ob causas non posse præsciat, ideoque à me ipso licentiam petat, cujus cæteroquin ipsum pænitere queat, ob plurimam variamque, quæ requiritur, lectionem, & fatigationem. Certè vix ullum id facilè ausurum conjicio, ob temporis diuturnitatem, & judicii practici soliditatem, quod vel solum in talibus æstimatur, ut nunc de eruditione nil addam. Laboris enim pleraque hæc sunt, non ingenii. Multi autem censuerunt, ne quidem vitam unius hominis satis esse posse, tot scriptis perlegendis, quam gloriæ cupidinem, si qua esse potest, ferè solam & præcipuam incitationem habui, tædiosam & longissimam hanc laborum telam, æquo animo pertexendi. Nec puto quenquem fore, qui Moronum ejusque successorem qui secudi fecit, Montisferrati, aut etiam Schæfferum Francofurti ad Mœnum, istos conatus jam dudum præoccupâsse, aut satis accurâsse existimet, cùm tot errores in utraque editione Lugdunensi & Genevensi, & tertia quoque recentiori Germanica, occurrant, quos cuivis facile est animadvertere.

 Pluri-

Plurimum utique falletur, qui adlegatis illorum fidere cogetur. Ut verò lectores certiores esse possint, non tantum numeros corruptos restitui, & titulos correxi, ac verba distorta emendavi, sed etiam quot in singulis consiliis ac observationibus paginæ evolvendæ sint, indicavi, ut quisque temporis compendium habere possit, si fortè aliorum sententias exquirendi necessitas quandoque inciderit, quod quantum commodi adferat occupatioribus nemo facilè dixerit aut æstimârit, nisi qui expertus fuerit. Me certè sæpè aurei temporis piguit cujus parciorem jam dudum honesta quædam avaritia, aut parsimonia, & molesta quorundam semidoctorum loquacitas, an verius nugacitas? fecit. Hac sanè quamplurimi impegerunt, qui famæ cupidiores, quam diligentiæ, aut laborum tolerantiores fuerunt, quos ideò amicus olim noster doctissimus Gaudentius Paganinus singulari dissertatione eruditâ, de cauponibus famæ, Florentiæ quondam editâ, meritò reprehendit, ego etiam minutos Criticos, illius verbo, & enciones Medicos atque arillatores, Salmasii judicio appellare soleo. Habes iccircò brevibus, Vir Illustrissime, instituti mei rationem: In cæteris, si quid fortasse prætervidi aut inseius & invitus omisi, veniam postulanti, & olim cum Deo correcturo, si monere volueris, aliquid moræ ad deliberandum, ulterius benignè concedas peramanter rogo.

De favore enim TUO, & singulari benevolentia nullus dubito, nec TU, ut spes, est vanum me promissorem suspicaberis, novi enim illud Taciti Hist. III. 58. 5. trepidantium naturam esse, immodicos esse promissis: & alterum XV. 8 2. Gloriam cum modo, successum cum cura habendum. Hunc autem si aliquando obtinere felicem licuerit, ut optare nunc saltem decet, impensè gaudebo, artis nostræ utilitati publicæ me aliquid gratum præstare potuisse, nec TIBI inprimis Nobilissime & Amplissime D. Præses voluntatem meam displicuisse.

Tam

Tam benè siquidem cum rebus humanis non agitur, ut meliora pluribus placeant, rectèque Seneca de Vita beata c. 1. *Argumentum pessimi turba est.* Quod si in quibusdam præter intentionem excessi, in illis nempe, quæ fortè non adeò necessaria erant, non aliam causam inprimis habuisse credas, quàm monitum. Accii Philoctetæ, apud Nonium Marcellum de propr. serm. c. XI. §. 22. *Contra eundum est cautioni.* & Senecæ judicio, *Præcipienda quædam ultra modum, ut ad verum suumq; redeant.* Pluribus autem TIBI molestus esse nolim. Hæc adeò à toto annis deliberata, nunc paucis daproperata ipse facilè agnosces & excusabis. J. Columellæ sententiâ, qui unius hominis navam atque agilem industriam, quam decem aliorum negligentem & tardam operam malebat. XI. de R. R. c. 1.

Audire autem mihi videor Nestorem ipsum hæc ingerentem:

Sed te non animus, nec solis viribus æquum
Credere, sæpè acri potior prudentia dextrâ
Quam tulerit DEUS, arripe opem.

In cæteris liceat TE verbis Æsonidæ apud eundem Valerium Flaccum IV. Argonauticorum adloqui v. 538.

Vota senex perfecta tibi. Nunc me quoque curis
Eripe, & ad nostros animum converte labores.
Omnis adhuc sors læta quidem, nec Numine vano
Si qua fides curæ superûm tantum æquor adortî
Tendimus. - - -

Illustres autem Collegas hortari ejusdem versibus lubet,

Tendite in astra Viri: mea primum regia mundo
Japeti post Bella trucis, Phlegræq; labores
Imposuit durum vobis iter, & grave Cæli
Institui, sic nunc meus orbe peracto.
Liber & expertus terras remeavit Apollo.

atque propterea ipse vitam meam, dum vivo, conscribere, quod magni quidam Imperatores & Reges, virique doctissimi fecerunt. Nolim enim, si quæ laudanda egerim, sublimius quam deceat evehi, aut etiam, si quæ reprehendenda alii putarint, præter debitum laudari. Simplici igitur narratione utar, sine ullis fallaciis aut exaggerationibus, nec defectus meos & vitia, ipse dissimulabo. Sed Exemplo sanctissimorum Virorum, cùm à juventute pœniterent & emendationem suspirarent; apertè fatebor, cæterà vitæ integer & scelerum quæ Jura animadversionibus suis vindicant, purus. Fortunam quoque reverenter habebo, atque re ipsa ostendam, secundam mihi & ridentem, non tamen nimium deamatam, tardè constantem affulsisse, adversam autem sæpius infestam, non pluris æstimatam fuisse, quam ut minaci medium digitum ostenderem. Laborum autem & ingenii ac judicij dotes, si quæ fuerint, Viris doctis æstimandas permittam. Sic enim:

Solus & semper meus esse quovis,
Disco tumultu.

Sic etiam:

Quem docti raptum gemuissent olim,
Hic diu vixit. Sibi quisque famam
Scribat heredem: rapiunt avara,
Cætera Lunæ.



Seneca de Vita Beata. c. II.

Exiſtimes judicia, non numeres.



